

aquis suis, metallorum solutione, sanguine, crine, ouis, lacte, melle, saccharo, variis herbis, in metallorum transmutatione, obtinuerunt? Res nullius pretij, ac nullas pene. Quocirca à prioribus istis tibi exemplum sumito, cum ipso facto deprehendas, quod illi, multis nunc ab annis, friuolis suis Sophismatibus, ad veram rectamque Alchimiam, quantum ad correctionem, vel elementaris ignis exaltationem attinet, non peruenire potuerint, sine quo, proprio suo lumine & liquore, à primo ad vltimum suum gradum, exaltatur atque corrigitur, quo etiam imperfecta metalla exaltantur, adeo vt eorumdem ignis elementaris non perfecte per liquorem suum coquatur, neque jungatur. Et ea ipsa de causa ignis elementaris consistere nequit: Liquor enim illius ab elementari isto igne, per vulgaris ignis calorem, separatur, & in albo quodam fumo euanescit. Vice versa ignis elementaris non euolat, sed penes terram remanet, & cum illa comburi necessum habet eo, quod ipsius protector in albo fumo euanuerit. Et fumus ille albedo ista est, qua de Veteres scripserunt, quod post nigredinem illa veniat. Vnde etiam dicere sunt soliti: Nigrescere te primum oportet, antequam velis albescere. A nigredine siquidem nostrum capimus initium, & nigrum fumum transmurtamus, non autem, vt nigrum istum fumum tua sumas pro materia, illumq; album facere debeas, & illud siquidem impostura esset. Quamobrem vere tibi affirmo quod philosophorum dicta ægre ab illis intelligantur, qui in naturæ operatione non ex fundamento bene informati sunt: quam diu etiam tu ipse naturæ ignarus es, & quæ metallorum fiet metallitas, non recte compertum habe-  
as, tam

253.